



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

VI. De eo, qui euaginato gladio atrium ecclesiae intrauerit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

Rigor pri-
scæ pœni-
tentia.

temporis sacerdotum, quinquennio plenissimæ ca-
stigationi pœnitentiæ substernatur, ita vt car-
nem non manducet, nec vinum bibat, ieiunet au-
tem vsque ad vesperam, exceptis dominicis & die-
bus festis. Arma non portet, & ubicumque eat,
pedibus incedat, ecclesiam non intret, sed ante
fores stet, orans Dominum puro corde, vt abluat-
ur tanto crimine. Expleto vero quinquennio,
introducente episcopo, ingrediatur ecclesiam,
nondum tamen communicans, sed * intra audien-
tes stans. Et aliud quinquennium indulgentius in-
troeat indultum. Quo vero expleto, cum decimi
anni cursus fuerit expletus, gratia communicandi
& licentia concedatur ei. Maneat autem in reli-
quis obseruationibus tres dies per hebdomadam,
vt purificationis mereatur culmen.

ANNO
CHRISTI
895.

VI.

Matth. 26.

Si quis temerarius atrium ecclesiæ euaginato
gladio præsumptuose intrauerit, sacrilegium facit.
Et idcirco sacrilegium in atrio Domini factum,
sacrilegii more altari & Domino persoluatur. Do-
minus dicit in euangelio: *Omnes enim qui acceperint
gladium, gladio peribunt*, id est, qui se ipsos vice
talionis per peccatum in præsentem vlcisci deside-
rant, gladio ipsius peccati in anima moriuntur.
Quanto magis is, qui * secundum atrium, quod * sancta
Dominus sibi præ ceteris segregauit locis, & suæ
sanctæ ecclesiæ ad honorem, polluerit, & temera-
rius irruperit, gladio peccati & iniquitatis suæ
mortuus iacuerit? Quapropter opus est pœniten-
tia, vt resurgat ad vitam qui gustauit mortem.